

D. D.  
 DISCURSUS TELEOLOGICI  
 CIRCA  
**ATMOSPHERAM**  
 PARS PRIOR,  
 QUAM  
 CONSENTIENTE AMPL. FACULTAT. PHILOSOPH.  
 IN REG. AD AURAM ACADEMIA,  
 PRÆSIDE  
**D. PETRO KALM,**  
 OECONOMIE PROFESS. REGIO ET ORDINARIO,  
 REG. ACAD. SCIENT. HOLM. ET SOCIET. LITTER. URS,  
 MEMBRO,  
 NEC NON FAC. PHIL. H. T. DECANO,  
 PRO LAUREA & HONORIBUS  
 PHILOSOPHICIS,  
 PUBLICÆ DISQUISITIONI SUBMITTIT  
 STIPENDIARIUS REGIUS  
**JOHANNES WESTZYNTHIUS.**

*Magn. Fil.*

*OSTROBOTNIENSIS.*

AD DIEM XXIX. JULII A:o MDCCCLVII.

In Aud. Maj. H. A. M. C.

ABOÆ, Impressit DIRECT. & TYPOGR. Reg. Magn. Duc.  
 Finland. JACOB MERCKELL.

*J. J. Maj. Phytarius.*

S:æ R:æ M:tis  
MAXIMÆ FIDEI VIRO,  
REVERENDISSIMO PATRI ac DOMINO,  
**D.N. CAROLO FRID.  
MENNANDER.**

S. S. THEOL. DOCTORI CONSUMMATISSIMO,  
DIOCESEOS ABOËNSIS EPISCOPO EMINENTISSIMO,  
AC. IBID. PRO-CANCELLARIO MAGNIFICENTISSIMO,  
SCHOLARUM PER DIOECESIN EPHORO ADCURATISSIMO,  
REG. ACAD. SCIENT. HOLM. MEMBRO INCLYTO.

MÆCENATI SUMMO.

**Q**uem in summo fere sacre dignitatis apice eminere, cum  
bonorum omnium applausu, conspicere jam licet. Quicq;  
de Religione, Republica, Litteris & Litteratis optime mereri  
semper in deliciis habuisti, TIBI, REVERENDISSIME  
FRÆSUL, dissertationem banc, utut levidense munusculum,  
offerre sustineo. Ut illam gratiosa mentis vultusque hilarita-  
te excipias, submissa mente obtestor. Itud vero ut faciam, sua-  
dent non tantum laudata illa, que in TE venerantur omnes,  
verum etiam maxime singularis ea gratia, quam in me im-  
primis collocatam voluisti. Quadriennium, est, & quod excur-  
rit, ex quo illam mihi contigisse felicitatem, plus quam gra-  
tulabun-

tulabundus recordor, quod in Nobilissimam TUAM domum,  
me adoptare TIBI, REVERENDISSIME PRÆSUL, pla-  
cuit. Filium TUUM, ut unicum, ita charissimum summeque  
speti litteris moribusque erudiendum mibi tum concredere vo-  
luiisti. Ex illo tempore innumeris me, REVERENDISSIME  
PRÆSUL, exornasti beneficiis. Consiliis saluberrimis & plus  
quam paternis memet nunquam non sublevasti; Sua sor ad  
quævis honesta suscipienda mihi fuisti Summus, fidelissimus; Rem  
angustam domi animadverrens, necessitati mea largissima manu  
succurristi; Nec denique me indignum judicasti, quem exqui-  
sitissima, quam possides, eruditione beare volueris. Pro tot  
autem tantisque gratia documentis, quid a me reponendum?  
Nihil certe aliud, nisi quod Clientes devotissimi, museque te-  
nuiores adsolent: Mentem gratissimam & venerabundam ad  
ipsos cineres in pectore fovebo, ejusque interpres omnes exi-  
gui & vilis hujus tirocinii litteras esse volo. Vivas, RE-  
VERENDISSIME PRÆSUL, vitam diutinam & feli-  
cem, ut quid emolumenii atque futeri a TE expectant Re-  
ligio, Respublica, Litteræ, Litterati, Família, Clientes, im-  
plete TIBI liceat! Dum autem sera posteritas TE communi  
mortalium fato functum demum lugebit, nulla sit etas, que  
TUAM memoriam cum admiratione non recordetur! Tu  
vero, rebus bene & gloriose in hac statione gestis, in cœ-  
lesti patria gaudio fruaris sempiterno!

### REVERENDISSIMI NOMINIS TUI

Cultor & Cliens devotissimus,  
JOH. WESTZYNTHIUS.

VIRO AMPLISSIMO atque CELEBERRIMO  
DN. H E N R I C O  
H A S S E L,

IN ILLUSTRI ATHENÆO ABOËNSI ELOQUENTIA PROFESSORI  
CONSUMMATISSIMO, atque CONSISTORII IDEM ADSESSORI  
GRAVISSIMO,

MÆCENATI MAGNO.

Quoties Tuum, VIR AMPLISSIME, in me favorem, certe singularem & maximum recordor, recordor autem semper, quoties illum in TE veneror Mecenatem, cui omnis, que propediem mibi evenire potest, felicitatis haud exiguae partem debo. Toto illo tempore, quo in Nepote TUO charissimo inserviendo mibi licuit occupari, libereum & frequentem mibi ad TE dedisti accessum. Nunquam autem me recedere passus es, nisi eruditione TUA amplissima malitatum, nisi vulnu verbisque ad quodvis honestum persequendum incitatum, nisi consilis denique, qualia

IUA

TUA esse solent, hoc est, maturis & sinceris benignissime beatum. Quum autem desit, quod pro favore hoc TUO prolixo referam, sinas, Vir Amplissime, presentem dissertationem qualemcunque esse praconem mentis mee erga TE gratissime & venerationis plenissime, que nunquam penes me erit intermoritura. Reipublice fucrum, quotquot sumus omnes in TE suspicimus. Patrocinium late in TE sibi gratulantur Muse Auraice. Familie Nobilissime es tutela & delicium. Clientibus Fautor & Promotor benignissimus. Sero itaque eluceat dies, quo Patria charissima, Academias Aboensis, cognati TUI, atque studiosae juventutis cohors TE sibi erectum dolebunt! Vivas, Ampl. Dn. PROFESSOR, diu, omnigena ista felicitate satiatus, cuius in his terris es capax, & ipse Tibimet adoptas! Dum autem ex hac fragilitate discedere TE jubet Summus rerum Arbiter, vivas in memoria omnium bonorum, qui laudes TUAS perpetuo loquantur! Vivas in cœlū inter eterna gaudia, virtutum TUARUM fructus persentiens uberrimos.

AMPLISSIMI atque CELEBERRIMI  
NOMINIS TUI

Cultor & Ciliens humilissimus,

JOH. WESTZYNTHIUS.

VIRÔ Plurimum Reverendo atque Clarissimo,  
**Dn. MAGNO WESTZYNTHIO,**

Vicario Pastori, atque Sacellano Calajokiensium Meritissimo,  
**PARENTI INDULGENTISSIMO.**

**A**Tque sic demum adest dies, quem calidissimis diu desideravi votis.  
Datam mihi lætus jam cerno occasionem, Tua, Parente indulgentissime, publice prædicandi beneficia, & mentem gratam atque veniebundam, unicum illud quod ego referre possum, testamat faciendo. Fateri autem statim in limine cogor, deesse mihi verba huic materiei rite exponenda idonea. Sinas itaque, Parente indulgentissime, ut paucis balbutiis mea lingua se expedit. Ab ipsis incunabulis tenerissimam meam animulam pietate & bonis virtutibus imbuiti, & justam corporis egisti curam. Crescentibus postmodum annis, & intelligenti vi penes me adiuxta, Ipse primus fuisti, qui litterarum rudimenta mibi tradidisti. Quam autem injunctum Tibi munus sacrum tantum non relinquere otium aninadvertisisti, quantum in me rite instruendo opus esse sciebas, ad publicas bonarum artium officinas memet transmittendum curasti. Consiliis praeterea & admonitionibus paternis me omni tempore & occasione erexit, & precibus tam presentem quam absentem Summi Numinis curæ fideliter commendasti. Quas denique, Parente indulgentissime, in mea studia reliquaque necessitates fecisti impensas, tanta sunt, quantæ a Parentibus, longe majori, quam Tu, facultate pollutibus expectari sèpe nequeunt. Immo illa Tibi semper inhæst mens, ut Tibi Ipsi, quam mihi, lubentius quid deesse volueris. Pro his autem omnibus & innumeris aliis, hoc coram Te, Parente indulgentissime, concipiam votum, intra mentis recessus hucusque totum fere delitescens: Amore & honore Te semper & ubique prosequar; Obsequium lubens præstabo mandatis Tuis omnibus, sana enim & in bonum finem tendentia illa semper esse solent. Quod si quando occasio mihi detur vel corporis vel animi vires in Tuos usus impendendi, videbis me paratissimum illam attipere. Horum autem votorum pignus, ut prætentem Dissertationem, quamvis immaturum fructum eorum eruditiois seminum, quæ in mentis meæ agrum spargenda curasti, agere patiaris, id impense a Te, Parente indulgentissime, expeto. Sis, Parente indulgentissime, diu in vivis superstes, Ecclesiæ, Tuisque emolumento, gaudio atque tutelæ! Vivas, vigeasque, & reportent cani rugæque Tuæ uberrimos eorum laborum fructus, quos in vinea Domini indefessus collocasti; Hac autem vita demum solitus, illa persentias gaudia, quæ tuis paravit Altissimus! Posuit

**PARENTIS INDULGENTISSIMI**

Filius ad urnam obsequentissimus,  
**JOH. WESTZYNTHIUS.**

Philosophia CANDIDATEN,  
Höglärde Herr  
JOHAN WESTZYNTHIUS.

Min Herr!

Ett lyckligt sjuille äger icke altid dygden til följeslagare, eburn de-  
lester Skaparens inrättning aldrig borde föllas. Värt föderf ty-  
kes göra os östicketlige at båra två så stora egenskaper på en gang.  
Naturen itlader sig icke fällan den stiftmors art, at hon ti blattar  
alla sina skatter. Hon tycker sig icke warit sparsam, då hon begäf-  
war en med större quickhet, fast böjelse til laster skulle fötta med; ock en  
annan med nöje för dygden, fast under mindre prunkande sjuille gäf-  
vor. Ganska få ibland de dödeliga års, hos hvilka bågge dese föd-  
måner finnas förenade. Min Herr! jag skulle offenteligen räkna Chr  
ibland de få, tv en sedan lott tildommer Chr mitt sjuune, om mig ei af  
andre, i ansende til vår w uskay, kunde förebrås mindre owallughet.  
Den plikt jag likväl sanningen skyldig är, och den försäkrar jag äger,  
at ganska få beskriva min utlåtelje, gör at jag måste bekänna, det wett  
och dygd hos Chr sammanstånt et artigt inöte. Ock pa det jag ei må  
brista i bewis, så åberopar jag mig angående det förra på Edra wed  
Kongl. Academien aflagda lärdoms prof, och angående det sednare på al-  
las erfarenhet som känna Chr. Bågge lägga sanningen af det jag sagt  
i det tydligaste lins. Chr lycka i denna omständighet, tar jag lika dm del  
uti, som jag upriktigt fattat för Chr den renaste wanskap. Det är mig  
i synnerhet en känbar fagnad, at få hdra Chr min Herr, nu vara  
färdi med et wittert arbete, en Beträckelse ösver Vår Lufts keets. I  
hoswen walejet ämne, til hvilket utredande ei någon mindre än en utimärkt  
tanckeafwa förlar, och hoswen saledes ådagalagte, hvad man bör tro  
om Chr stickelheit. Min ringa wiltalighet och en kort tid, hindra mig  
at på et mer betydande fält yttra mig: men hvad deri brister, ersätter  
den fukomligaste walmening. Wandren fort med jemne steg på dygdenes  
wág, ja skal ock dräns tempel, åt hvilken den samma ledar, aldrig fört  
Eder tillslutas. Ultakten skal värda Chr företagande, och alla som ålsta  
dygden ønska Chr godt på jorden och glädie i himmelet.

Min Herrs

altid trognaste wän och tienare,

Lovisa d. 1. Jul. 1757.

ZACHRIS CYGNÄUS.

To

The most Learned Author of this present Discourse.

Great Happ'ness, SIR, at Aura's pleasant Shore  
We wish you all, and besides great Deal more;

Hwo

How you, SIR, are in Arts and Learning Skill'd,  
Do prove this little piece of Wisdom skill'd.

You quaintly shew ro read, and too to see,  
What Pleasure, Use that very ought to be  
The works of God with mindful Eye to view:  
Within this Lin's; tho' they are very few.

You Palla's Son's, give Tancks our Authors Lin,  
Who with this Work will lay to Honour claim,  
And with a pretty Laurel crowned be,  
which shoud be Joy for all his Friend's to see.

Your cordial Friend and Servant  
D. E. HÖGMAN.

---


A L'AUTEUR,  
MONSIEUR!

C'est avec un vray plaisir, que je saisis cette occasion pour Vous feliciter sur la belle dissertation, que Vous allez publier, un de ces jours. L'etorte amitié, qui nous unit depuis long tems, ne me permet point de louer ici la force & la solidité de Votre esprit, & les beaux progrès, que Vous avez faits dans plusieurs sciences, sur tout dans la Physique. Je pourrai même fort aisement m'en dispenser, attendu que Vous en avez déjà ci-devant convaincu le public, suffisamment, en bien des occasions. Vous venez encore d'en donner une nouvelle preuve. Cette dissertation contient assurément en peu de feuilles des choses très curieuses & très interes-santes sur l'atmosphère. Elle Vous fournira autant de témoins de votre savoir & de vos belles connaissances. Il ne me reste donc, qu'à Vous souhaiter des recompenses, qui répondent à Votre mérite distingué, & que le Laurier, dont Vous allez être couronné bientôt, soit suivi d'une par-faite prospérité & de toute sorte de contentement. Voilà les Vœux si-  
ceres de celui, qui sera toujours avec un attachement à toute épreuve

---

MONSIEUR,

Votre très humble & très obéissant Serviteur,  
JEAN FRID. MÜLLER.



## PROOEMIUM.



Uemadmodum Scientia Naturalis theoretice pertractata animum sciendi cupidum mirum in modum delectare valet, quippe quæ veritatum & inventorum copia, sublimitate, certitudine & jucunditate ubique superbit; ita, si finium consideratio & applicatio ad praxin pietatis eidem adjungatur, tantum accipit pretium, ut haud procul a proximo post salutis doctrinam loco in disciplinarum ordine collocanda videatur. Provenit hinc illa Scientia quæ *Theologia* aut *Scopologiae* nomine insigniri solet. Hæc latissimum exporrigit campum, in quo luculentissima existentia & attributorum DEi ubivis occurunt vestigia; Hæc speculum providentiae Divinæ clarissimum est; Hæc pro Divina Sacrae Scripturæ auctoritate argumenta haud parvi facienda suppeditat; Hæc ut indefessus præco, DEum quovis momento quasi videndum palpandumque sistens, pietatem &

A

cul.

cultum DEI vehementissime urget. Huc pertinet brevis, qui sequitur, circa atmospharam discursus. Secuti in illo fumus Viros hujus generis eruditione maxime conspicuos, utpote BERNHARD. NIEUVENTYTIUM in Recht. Gebrauch der Welt-Betrachtung; WIL. DERHAMUM in Physico-Theologia; CHRIST. WOLFFIUM in Bermüft. Gedankt von absichten der natürlichen dinge, & AUCTOREM Libri Spectacle de la nature, quod ipsum heic indicasse sufficiat, ut prolixæ & tædiosæ citationes in ipsa tractatione evitentur.

Intelligimus autem per ATMOSPÆRAM fluidum illud mixtum, quod Tellurem nostram undiquaque cingit, eandemque sinu suo quasi involutam tenens, motum tam periodicum quam vertiginis una cum illa perficit. Maximam, qua consistit, partem constituit quidem aër; verum continet illa quoque congeriem quandam particularum, quæ ex omnibus in superficie terræ reperiundis corporibus, solidis non minus quam fluidis continuo elevantur, atque effluviorum sive vaporum & exhalationum nomine veniunt. Quid tam circa Atmospharam generatim, quam Aërem imprimis notatum maxime dignum observamus, id primo erit in medium proferendum; deinde autem Effuvia, quæque ex illis gignuntur Meteora, quantum in nobis perlunganda,

### §. I.

**D**Efiniri solet AER, quod sit corpus fluidum, subtile, petuctum, grave, elasticum & totum orbem terraqueum ambient. Quod hæc ipsa prædicata aëri competant, id ex physicis cuivis notum supponimus. Nobis jam in vires gravitatis & elasticitatis paucis erit inquirendum, atque circa illum, qui inter has aëris proprietatis conspicitur nexum, relationemque illam, quam eadem ad quodvis corporeum

poreum terrestre habent, nonnihil observandum. Notissimum est experimentum, quod instituunt Philosophi cum tubis aquam vel mercurium continentibus, quorum extremitas superior est clausa, inferior autem immersa vasi aperto, eodem ac tubis fluido replete. Illud videlicet heic conspicitur phænomenon, quod columnæ aquæ atque argenti vivi non totæ e tubis in vascula descendant, verum quod sustineatur pars columnæ aqueæ ad 31 circiter pedum, mercurialis autem ad 28 circiter digitorum altitudinem. Hinc vero illam deducere licebit conclusionem, quod quantum sit pondus columnæ aqueæ 31. pedes, aut mercurialis 28. digitos altæ, tantum quoque erit columnæ atmosphæricæ eandem cum aquæ & mercuriali basin habentis. Si jam pressionem, atmosphæræ, quæ ex his sequitur, penitus consideremus, nobilissimam habebimus disquirendi materiem. Eadem enim vi ipsa Tellus, omniaque corpora terrestria, continuo ab atmosphæra premuntur, ac premetentur, si mercurius 28 digitorum, aut aqua 31 pedum altitudinis illis incubaret. Ponamus jam pondus unius pedis cubici aquæ, juxta observationes Physicorum, æquale esse 62 circiter libris, & juxta consideremus, aërem, utpote fluidum grave, secundum principia hydrostatica, non tantum deorsum, verum et jam lateraliter & sursum, hoc est versus omnes plagas, premere, idque æqualiter. Patet autem tum quemvis pedem quadratum superficierum globi terrestris, corporumque super eodem jacentium, perpetuo sustinere pondus  $62 \times 31 = 1922$  libr. Posito itaque superficiem ipsius Telluris  $554780000000000$  pedes quadratos æquare, sequitur, totam quam atmosphæra in hunc globum exercet pressionem æqualem esse  $1922 \times 554780000000000 = 1066287160000000000$  Libr. Et per facilem hunc calculum investigari potest pressio, quam singula animantium, ceteraque terrestria corpora ab atmosphæra patiuntur, data tantummodo eorundem superficie.

sie. Sic, ut corpus humanum jam exempli eaussa consideremus, novimus cutem corporis hominis adulti 12 circiter pedes quadratos continere; longitudo enim plerumque est 6 pedum, & crastitiae potest semper unius pedis superficies ad utramque corporis partem assignari. Quum itaque 1922 libris æqualis sit atmosphæra in omnem pedem quadratum pressio, erit eadem in totum corpus humanum æqualis 1922  $\times 12 = 23064$  libris. Sit ne, nimium sumissæ videamur, hæc pressio æqualis 23000 libris. Admirandum vero & maxime formidabile pondus! Certe tanta est hæc ipsa aëris pressio, ut stuporem cuivis attendanti injicere valeat. Sed unde, quæso, est, quod dum 11500 Librarum pondus, ab utraque, anteriori videlicet & posteriori corporis parte nos premit, nos tamen per stupendam hanc vim non laceremur, nec membra nostra comprimantur, aut alia corpora, tenerima licet & maxime mollia, aëri exposita in minima absunt frusta? immo, qui sit, ut, tantum licet sit hocce perpetuo nobis incumbens pondus, illud tamen plane non sentiamus? Adsit certe, necessum est, alia quædam vis, quæ huie æquivalere atque æquilibrium cum eadem servare potest. Quæ aëri, ut aliis omnibus fluidis gravibus inest ad omnes plagas pressio æqualis, illius quidem hoc in puncto aliquæquin sint partes, negari omnino non potest; at in primis est hæc vis gravitati contraria in ipsius aëris elasticitate quærenda. Quod enim hæc gravitatis vi sit æquipollens, id vel exinde patet, quod dum Barometrum campanæ vitreæ subjicitur, valet exiguum illud, quod aëris ibidem est inclusum, mercurium ad eandem sustinere altitudinem atque in libera atmosphæra obtinuit. (a) Quod phænomenon quum gravitas parvæ adeo portionis aëreæ producere non potest,

---

(a) Vid. GEORG. WOLFG. KRAFT, in prolect. ad ead. publ. in Physicam Theoret. pag. 339. S. 413.

est, erit illud ipsius elateri adjudicandum. Est itaque elater aëris inferioris æqualis ponderi totius superioris illi incumbentis. Et hinc est, quod homines, reliquaque animantia, corpora alia terrestria, atque apparatus varii artificiales, ab incumbentibus in illis atmosphæræ pressione non lacerantur. Etenim quæ iisdem inest quantillus demum fuerit aëris, vi qua pollet elastica, vim gravitantis aëris exterioris destruit. Heu itaque artificium mirabile & sapientissimo auctore dignissimum! Idem aëris, qui juxta, unam ob sufficientissimas rationes sibi concessam proprietatem, in perpetuo existit nisu, omne corporeum violentissime lacerandi, vi alterius suæ affectionis, hunc nisum plane destruit. Äquilibrium itaque inter duas has vires a Sustentatrice Numinis manu conservatum in caussa est, cur nos hoc in punto securi vivere possimus, nec alia quæcunque corpora ulli exponantur periculo. Quid autem æquilibrio hoc sublato eveniret, attendenti absque difficultate patebit. Adsum & experimenta, quæ hoc declarant. Etenim vasa, quæ disco antlia pneumaticæ sunt imposita, & interno aëre privata, ab exteriori comprimuntur & in frustra cum insigni franguntur strepitu. Liquet itaque hinc, sublata elasticitate interioris aëris, homines, animantia, corporaque alia naturæ & artis ad interitum esse proxima.

## §. II.

**D**Um jam in eo versabimur, ut usus & fines aëris levipenicillo adumbremus, utque mutuum illum nexum indigitemus, qui aërem & reliqua corpora terrestria eorumque effectus & operationes intercedit; non possumus, quin statim in limine verba *Cœub. BOERHAAVE* nostra faciamus, summa admiratione & debita in Sapientissimum Numen veneratione fatentes: *Hunc ipsum aera esse instrumentum*

catholicum, necessarium, efficacissimum, quo in primis universa natura utitur ubique, in omnibus fere suis operibus, quæ perpetuo sequitur. vid. Elem. Chem. Tom. I. pag. 359. Etenim quo demumcunque respectu considerentur corpora, sive in ore, sive in statu conservationis, sive denique in intereundo; vix ulla eorum indicate potest operatio, quæ sine aëre contingat & peragatur. Palmaria in sequentibus adducemus rei exempla.

Ordinamus ex illo aëris influxu, quem omnia animalia, & ipsi nos homines, quovis momento persentiscimus, quoque ad ipsum vitæ sustentationem perpetuo opus habemus. RESPIRATIONEM loquor; ea videlicet a Summo naturæ Architecto facta conspicitur dispositio, ut inevitabili quædam necessitate vitæ animalis ratio postulet, præsentiam aëris, justam ejus densitatem, perpetuam denique istius inspirationem & exspirationem. Potest hoc ipsum non tantum ex variis experimentis intelligi, verum etiam ex ipsa præsentis corporis humani & animalis structura, quippe quæ ejusmodi continet organa, quæ ad opus respirationis certa ratione perficiendum unice sunt disposita & ordinata. Communi edocemur sensu, nos & omnia animalia nullum vivere temporis spatium, quo cum respiratione non essemus occupati. Observamus etiam haud mediocre sentiri incommodum, si vel tantillum existat impedimentum, quo minus aër libere viscera nostra intret iisdemque egrediatur. Antlia pneumatica ope expertum est, animalia, dum campanæ vitreæ fuerunt subjecta, & aër eadem circumambiens ad diversos raritatis gradus eductus, pro diversa corporis eorum constitutione, aut mirifice inflammari & violento motu agitari, aut morte repentina penitus obrui. Subjecerunt DERHAMUS aliisque antlia varia *Quadrupedum* & deprehenderunt quod, aëre rarefacto, Canes, Mures, Talpæ & Vespertiliones, post unum vel aliquot minuta expirarint.

Feles

Feles autem, eaque imprimis recens natæ, omnium in hæ  
 classe diutissime durabant; denuo tamen & hæ communi  
 fungebantur sato. *Aves*, plumea illa turba, quæ ut aëris  
 sunt propriæ, ita plurimæ illarum vix minimam patiuntur  
 evacuationem. Illæ quæ altius volare solent, & subtili isti  
 aëri, qui in media atmosphæra regione obtinet, adsverunt,  
 utpote *Faltones*, *Ardeæ*, aliaque, videntur quidem primo  
 minori quam reliquæ *aves*, in loco evacuato premi incom-  
 modo; observatum etiam est *Hirundines* satis diu in vacuo  
 vixisse: ast & hæ omnes vitam cum morte commutari bre-  
 vi coguntur. *Amphibiorum* illa est indeles, ut nec in statu  
 naturali & ordinario constituta adeo multum aëris opus ha-  
 bant, quum mutatis vicibus in aqua & terra degerere pos-  
 fint; hinc neque mirum, quod hæc animalia defectu aëris  
 non adeo mox succumbant. Sic observatum est, *Ranas* e. g.  
 mediocri existente rarefactione, per 6, 11 & plures horas  
 vitam conservasse. Interim tamen id verum, sub campana  
 antliae evacuata multum expandi hæc *amphibia*, immo in-  
 terdum eo usque, ut continuata longius rarefactione peni-  
 tus distingantur. Notum quoque est, quod debito sic or-  
 bata aëre, eadem nec mortem diu effugere valeant. Aquar-  
 um incola s. *Pisces*, peculiariter proprie utentes  
 elemento, videntur quidem omnem aëris usum penitus respue-  
 re; Sed contrarium docet experientia. *Pisces* enim, si una  
 cum aqua cui inatant campanæ subjiciantur & aër externus  
 subducatur, sursum mox tendunt, nec nisi corpore inver-  
 so natationem amplius perficere valent. Testatur etiam *Cel.*  
 BOERHAAVE, quod in aqua unde aër eductus est, vitam  
 cito amittant pisces. Et notum præterea est, haud pauca  
 horum animalium, ut & infecta aquatica, exiguum admo-  
 dum temporis spatium in fundo aquarum commorari posse,  
 sed sepiissime novi aëris reportandi caussa ad aquæ super-  
 faciem adscendere opus illis esse. De *Insectis* nullum est  
 da-

dubium, quin & illa ad suam vitam conservandam aëris egeant præsentia, Svento enim experimento deprehensum est, Apes, Vespas, Gryllos, Scarabæos illos smaragdulos, ceteraque, dum quasdam horas in vacuo fuerunt inclusa, nullum amplius vitæ signum dedisse. *Vermes* denique quod attinet, & illi communi huic naturæ legi subjacent. Cochleas enim modo sæpius dicto examinarunt Physici, & animadverterunt, eas dum post 24 circiter horarum spatiū e vacuo protrahebantur, adhuc quidem vita gavifas. Quando autem de novo aliquanto diutius, horas videlicet 28. hoc situ definebantur, exanimas eas invenit experimentator. Quod sic aliis accidere vidimus animalibus, id nec *Hominis* aliter contingere multiplex docet experientia. Per multī enim peregrinatorum, dum excelsiora montium cacumina ascendebant, ibique subtiliori circumdabantur aëre, insigni præcordiarum anxietate sunt torti, & vomitu tussique violento merum emiserunt sanguinem, nec procul a morte semet constitutos judicarunt. Pari enim ratione respiratio apud hos fuit impedita, ac si antliae pneumaticæ, cui aliquid aëris sit exhaustum fuissent inclusi. Experti hoc imprimis sunt *Josephus* quidam *Acosta* in montibus Peruviensibus Pericaca dictis, aliisque in Pyrenæis & Armeniæ. Si his, quorum mentionem fecimus, animalibus debitus concedatur aëris usus, antequam extremum efflarunt halitum, apparebit, eadem iterum semet reficere & ad vitam quasi revocari. Possunt singula Hæc experimenta apud NIEUVENTYTIUM & DERHAMUM in laudatis eorum operibus, aliasque passim legi.

Atque sic experientiæ documentis ostendimus, quanti sit facienda præsentia aëris, pro conservanda vita animalium. Patebit autem idem hic arctissimus nexus, si ad ipsam corporum structuram provocemus. Detexit videlicet Anatomicorum in observando solertia, omnia, saltem palmaria

ria illa organa, quibus ad respirationis opus peragendum utitur natura, detexit quoque ipsam rationem, qua illud perficitur. Non datur nobis longius in hac disquisitione procedere. Ea tantum, quæ præcipue sunt notatae digna, quam fieri potest, paucis attingamus. Offert se nobis omnium primo *Trachea* sive fistula illa, quæ a larynge ad pulmones descendit, quæque apertam patefacit viam, per quam aër mutatis vicibus corpora nostra intret iisdemque egrediatur. Sita est hæc ipsa, quoad partem superiorem, proxime ad œsophagum sive gulam cibo devorando destinatam; inferius autem ab illo separatur, & in duos ab ramos, quorum utrique lobis pulmonis insitunt, atque in ramulos permultos minores iterum distribuuntur, qui bronchii plerumque dici solent, & in vesiculis in pulmone reperiundis terminantur. Constat *Trachea* partibus cartilagineis (ne comprimitur, sed perpetuo existat aperta) leni cuticula inter se connexis, quæ in ramulis ipsam fistulam circumcirca ambiunt, superne autem, ubi œsophago adhaeret, non nisi ad dimidium, quandoquidem latus, quo ipsi œsophago est adfixa, nihil asperi habere debet, ne quid permeatui cibi existat impedimentum. Secundo considerandi veniunt *Pulmones*. Sunt autem hi illud vitalium genus, quod intra cavitatem pectoris suum obtinuit locum, illamque unice fere adimplet. Distributi deprehenduntur in partem dextram atque sinistram, quæ lobi majores denominantur. Ipsa pulmonum substantia est valde tenera & mollis, spongiosa, laxa, atque videtur esse composita e congerie quadam vesicularum, catervatim inter se connexarum, & tenui cute obductarum, quæ cum memoratis tracheæ bronchiis communionem habent. Tertio circa ipsum *Pectus* nonnihil erit observandum. Quamvis non omnimode conveniat inter Anatomicos, quidnam præprimis per hoc ipsum sit intelligendum; id tamen receptissimum est, ut anterior

terior illa corporis pars, quæ inter guttur & costas breviores habetur, pectoris nomine insigniatur. Hoc officinam respirationis merito dixeris. Continet illud, ceu jam antea observavimus, intra cavitatem suam pulmones; potest a costis & muscularis, qui illud amplectuntur, tum ampliari tum coarctari, & testantur Anatomici, quod non satis admirari possint illam, quæ circa hunc motum conspicitur, summi architecti mechanici, siquidem in nulla alia re quam heic manifestius ὡρούς γενετικούς videatur. Atque haec quidem sunt primaria respirationis instrumenta. Prætereo muscularis minoris momenti hoc negotio etiam occupatos, qui alioquin centum a quibusdam numerantur. Mediantibus tribus hisce organis præclarum hoc opus maximam partem peragit; & quidem ea præsertim ratione, ut, dum pectoris cavitas, costarum & muscularum ope, dilatatur, sicque vacuum in eadem caußatur, necessum est expandatur aëris in pulmonibus hospitans; facta autem expansione elater ejus minuitur, nec pressui atmosphæræ, sublato sic æquilibrio, amplius resistere valet; hinc descendens oportet aëris externus in pulmones. Dum vero iterum coarctatur pectoris, sic, ut condensetur aëris in pulmonibus; condensatio autem, una cum calore, quem intra corpus adipiscitur, vim ejus elasticam adaugent, unde hujus aëris, quantillus ille fuerit, pressio, pressioni istius, qui corpus ambit, prævallet; est itaque jam aëri huic inclusio erumpendum, & auctæ vi sua elasticæ ita obediendum, ut in illum se conferat locum, ubi minima obvenit resistentia. Facta itaque alternis vicibus pectoris dilatatione & contractione, aëris quoque inspiratio & exspiratio sponte existit. Patet ergo respirationem non pendere ab hominis voluntate, præterquam quod jam patefaciat, jam occludat locum, quem aëris vi eleteris sui jam occupet jam iterum deferat. Est itaque præcipua respirationis cauſa elasticitas aëris. Atque sic videt qui-

vis omnimodam adeo, inter aërem & hæc organa, existere convenientiam, ut fini communis eadem esse disposita & adaptata, tuto possit affirmari. Quidnam autem corporibus animalium ex vento hoc continue & variabiliter in illis flante proveniat utilitatis, de eo quidem sententia Philosophorum admodum variant. Existimant alii respirationem conducere ad refrigerandum sanguinem; alii ad motum sanguinis per totam corporis compaginem promovendum; alii ad vapores e sanguine una cum aëre expellendos; alii ad sanguinem rite temperandum, atque colorem rubrum quounque modo illi conciliandum, & s. p. possunt autem omnes forte hi usus & plurimi alii simul existere.

## III.

**D**um sic evictum dedimus, elementum hoc nostrum omnibus animalibus maxime necessarium esse vitæ conservandæ requisitum; sciendum porro, quod haud pauca eodem quoque ad MOTUM peragendum indigeant. Tota Avium classis, & plerique ordines Insectorum, quorum proprium est per aëra moveri, & volatu amplissima peragrade spatia, nullum in hac assertione nobis relinquunt dubium. Ast egent etiam Pisces fluidi nostri influxu, si in suo elemento, sursum atque deorsum & in quascunque directiones semet movere possint. Corpora avium insectorumque levia, atque hujus generis motui omnimode adaptata, vi gravitatis aëris sustentantur; Et dum alis suis, ipsius fluidi indoli convenienter & sapientissime contextis, remigant, efficit ejus resistentia, ut, quo tendant facilissime & stupenda interdum celeritate progressum comparcent. Et observatum est, his æque ac piscibus plerisque varias inesse vesicas, materia quadam membranacea & tenui constantes, aërisque plenas, quibus juxta leges hydrostaticas

optime sic uti norunt, ut, si illis erit adscendendum, ope musculorum aëris expansionem efficiant, adeoque majus corpori suo concilient volumen, gravitatem autem specificam minorem; Dum vero descendere illis animus est, contrahunt vesicam totumque corpus, quo minor sit illa, quam in fluido suo pati coguntur, ponderis jactura.

## §. IV.

**P**ostquam sic in antecedentibus artum fatis nexum inter aërem & regnum animale esse ostendimus, erit jam REGNUM VEGETABILE in hac §. percurrentum, atque brevibus videndum, quidnam ortui & conservationi corporum ad hoc pertinentium conducat fluidum nostrum. Est experimentis evidentissimis jam dudum ad liquidum perduatum, non germinare semina plantarum in vacuo. Comissa enim sunt semina Lactucæ æque matura, tempore eodem, in terram æqualiter paratam; una hujus apparatus pars Recipienti, unde aër educebatur, est subjecta, altera autem atmosphæræ exposita. Post 8. dierum spatiū deprehendebatur, semina sub Recipiente adhuc in terræ gremio latuisse, quæ v. aëre utebantur, jam plantæ primordia altitudinis 2. vel 3. digitorum emisisse. Concesso autem etiam illis aëre, mox e suis latibulis proruperunt, & intra hebdomaden unam, 2. vel 3. digitorum altituinem novæ hæ plantulae quoque nactæ sunt. Cæterum non germinationi tantum plantarum, verum etiam earundem dum jam florent vegetationi, vitæque conservandæ necessarium esse aërem, exinde haud difficulter intelligitur, quod, quamdiu aëre utuntur, nec vi quacunque alia adsciuntur, viridem possident colorem, folia floresque lâte exporrigunt, & commodissima omnium partium structura formaque jucundissima superbiunt. Quam primum autem utilissimo hoc elemento

privan-

privantur, videbis, quod statim palleant, marcescant, o-  
mnis eorum pompa evanescat, matura senectute obruantur,  
& tandem penitus emoriantur. Sed unde est, quod vege-  
tabilia ex seminibus aëris præsentia destitutis exsurgere ne-  
queant, quodque natura in illis perficiendis opus suum ne  
aggrexi quidem nedum absolvere possit? Videtur ipissima  
rei indoles hoc ipsum svadere. Scilicet, ut taceam in  
quovis feminis granulo aliquid aëris, adesse, qui in vacuo  
dilatatur, vascula disrumpit, atque sic germinationem im-  
pedit; est aëris ille ipse, qui glebam terrestrem præparat,  
quo idonea evadat plantulæ producenda matrix, unde et-  
iam is pendet usus, quem præstant aratio atque occatio,  
glebam ipsam invertendo, atque liberiorem in poros ejus  
aëri patefaciendo meatum. Est aëris ille, cuius ope nutri-  
mentum, in quonam demum illud consistat, e soli gremio  
colligitur; est, quo mediante per fistulas huic dicatas idem  
elevatur, (b) in utriculis digeritur, atque ad omnes cor-  
pusculi partes dispergitur; est denique, qui gravitate sua  
efficit, ut transpirare possint plantæ, utque superflua hu-  
morum portio in auram elevetur.

## §. V.

**Q**uidnam aëris vitæ atque accretionis corporum condu-  
cat, breviter in antecedentibus vidimus. Erunt jam  
pauca in hac §. apponenda, quæ, quantum ad DE-  
STRUCTIONEM CORPORAUM aëri sit tribuendum evincunt.

B3

Notum

(b) Solet quidem haec succi nutrientis elevatio per vim  
attraktivam communiter declarari, ad similitudinem ascensionis  
aquea in tubis capillaribus; quod quidem nobis neque animus  
est negare. Interim tamen nec dubitamus contendere, quasi-  
dam, immo palmarias aëris pressioni mouique elasticis hoc in

Notum est cuivis attendenti, illam in natura conspicereconomiam, ut quam primum, res quæcunque eas pergerint functiones, easque subierint mutationes, quæ iisdem fuere destinatae, atque sic fini per easdem intento, satisfecerint, pereundum illis sit & aliorum corporum ortui quid conducendum. Quid? quod observemus tanta hanc legem pollere auctoritate, ut, nisi adessent certa quædam corporum destructorum rudera, & staminibus & alimento nova illa & denuo oriunda corpora carerent. Ut vero sic per circulos quasi continuo ire queat natura, aëris præsentia omnino & quam maxime est opus. Etenim permulta habentur experimenta, observationes multæ, quæ docent, absque aëre nullam existere corporum destructionem. Ova inter lateres cæmento exæste junctos, in muroquodam antiquissimo reperta sunt incorrupta, ac si modo a gallina fuissent exclusa: Conchæ, arborum frusta aliæque res plurimæ in profundis terræ recessibus per aliquot secula reconditæ jacuerunt, evectæ autem, tantum absfuit, ut putrefactionem subiisse deprehenderentur, quin summa earundem durities cuiusvis admirationem excitaret. E fodiinis salinariis Siebenburgi quercus haud exiguae molis protrahebatur, quæ tantæ fuit duritiei, ut vix ullo instrumento potuerit cædi. Omnia autem hæc, dum quibusdam diebus aëre utebantur, manibus teri atque diffringi potuerunt. Observatum etiam est conservari fructus, flores & similia diutissime in vacuo, quæ in aëre cito solent corrumpi. Scilicet est aër ille, qui, ut fluidæ & subtiliores corporum partes omnium primo avolent atque in altum tendant, efficit; est etiam, qui in interioris corporum poros semet insinuat, solidiores eorundem partes a se invicem separat & in prima & simplicissima elementa omnia demum resolvit.

## §. VI.

## §. VI.

**Q**uantum nos omnes, quotquot sumus homines IGNIS  
debeamus terrestri, nemo, qui vel levissima uti-  
tur attentione, ignorare potest. Duplex admirandi  
hujus corporis vis, lucendi videlicet atque calefaciendi,  
tot tantisque gaudet usibus, ut vix volumina iisdem enu-  
merandis sufficerent. Miserrimam certe, nos imprimis bo-  
reales has regiones habitantes, ageremus vitam, nisi  
suppeteret, quo candelæ nostræ facesque accenderen-  
tur, sole, magno illo systematis nostri lumine nobis subdu-  
cto. Nec difficile est intellectu, quanto premeremur incom-  
modo, nisi daretur, flamas in fornacibus & caminis no-  
stris accendere, atque per illos ædes nostras calefacere,  
dum, hiberno tempore, longius a sole, communi illo calo-  
ris fonte, divagamus, vimque illius calefaciendi exiguo  
admodum gradu experimur. Quocunque autem & quantæ  
sint hæ ipsæ ignis utilitates, omnes ab aëre, seu caussa, si-  
ne qua non, dependent. Scilicet absque aëre nullus excita-  
ri nedum propagari potest ignis. Recipienti enim Antliae  
pneumaticæ amplissimo includatur cereus ardens, aut vascu-  
lum accenso spiritu vini repletum, & protinus exhauri-  
atur aër; observabitur autem flammarum cum carbone elychni  
quam citissime extingvi. Si carbonem accensum ligni aut  
funis incendiarii vacuo immittamus, apparebit ignem in  
eo contentum subito emoriri. Ligni putridi lucentis,  
aëre privati, lucem diminui & plane extingui testa-  
tur BOYLÆUS. In vase etiam, quod aërem sed inclusum  
continet, carbones ardentes & candelæ accensæ brevi, licet  
tardius quam in vacuo, exstinguuntur. Ex his ipsis facile  
apparet, igni flammæque alendæ apprime esse necessarium,  
ut liber aëri atmosphærico pateat accessus. Unde vero hæc  
ipsa phenomena? Num contineat aër ejusmodi quid, quod  
ad pabulum igni continuo præbendum requiratur, quodque  
in va-

in vacuo datur nullum, in vase autem undequaque clauso exigua adeo quantitate, ut in parva mora posset consumi, an vero pressione sua ignem proprius ad ipsum pabulum ille detineat, partes ejus in vehementiorem redigat motum & interiora ipsius pabuli eundem aggredi cogat, fumumque præterea & quas ille continet particulas aquosas, salinoas atque terreas, ignis sustentationi admodum noxias, ab igne separet & in altum propellat, id in præsentiarum determinare nec possumus, nec instituti ratio permittit.

### §. VII.

**P**Edem promovemus ad considerandum illud ministerium, quod præbet aër plerisque sensibus nostris externis, imprimis primariis eorum, uti sunt visus & auditus. Scilicet, quod LUMEN ipsum attinet, cujus præsentiam in visione objectorum necessariam esse novimus, non omnes, quas circa illud possidemus, prærogativæ ipsis corporibus lucentibus debentur, sed sunt etiam nonnullæ eorum æque magni certe faciendæ, quas atmosphæra nostra efficit. Vilia certe forent gaudia, usus admodum viles, quos, si aër abesset, a solis, aliarumque stellarum lucentium præsentia, æque ac organis in corpore nostro visu dicatis, perciperemus. Quam primum sol, cæteraque cœlorum ornamenta, supra horizontem nostrum fuissent exorta, statim quidem se nobis præberent videnda, & objecta quævis, per radios illis immisso, indeque ad oculos nostros reflexos, sub nostrum cadere juberent conspectum. Sed juxta hæc omnia forent tamen faces hæ cœlestes ad instar ignium, tenebris nocturnis in campo latissimo accenforum. Nulla in ipsis spatiis objecta interjacentibus existeret lux, sed ut tenebrosum & horribile spatium illa nobis compararent. Quod enim jam luce gratissima & omne vivum exhib-

exhilarante interdiu fruamur, quodque spatiū nos reliquaque corpora circumdans conspiciantur illuminatum, id ex radiorum luminis ab aëris particulis, quæque in atmosphera hospitantur, corpusculis heterogeneis in oculos nostros facta reflexione provenit. Num autem is, qui oculis in altum elevatis in spatio hoc illuminato observatur, color cœruleus, revera atmosphæræ competit, an vero per mixturam nigri atque albi, (quorum ille ætheris cœlestis, nullos radios reflectens, hic autem atmosphæræ foret) ita tantummodo appareat, id quidem in præsentiarum inquirere nostra non refert. Interim id verum, atmosphæræ nostra beneficio tactum esse, ut nos terræ incolæ domiciliū nostrum habeamus undiquaque illuminatum, & aptissimum, quo omnigena cum voluptate vitam degere possumus, utque tecto idem obductum sit pulcherrimo, colore non minus idoneo quam elegantissimo superbiente, quæ omnia soli cum omni suo splendore & pompa efficere non posset. Non autem in his usus atmosphæræ circa illuminandam terram subsistunt. Conducit illa etiam ad prælongandum ipsum lumen diurnum, & singula illa commoda, quæ per illud experimur augenda. Fit hoc ipsum medianibus crepusculis tam matutino quam vespertino, quippe quæ solius atmosphæræ beneficio existunt. Scilicet illam in natura obtinere legem animadvertisimus, quod, dum radii luminis e medio ratiōri in densius oblique migrant, non directione & via, qua coepiunt, ducantur, sed refrangantur propius ad rectam, quæ superficie ipsius medii perpendiculariter insitit, quodque dum in objectum quoddam opacum impingunt radii, reflectantur & ab eodem recedant. Idem hoc in atmosphera nostra cum radiis solaribus accidit. Qui enim illorum oblique in hujus superficiem incident, terram versus inclinati coguntur, idque tam in ipsa superficie, quam postmodum continuo per totam atmospharam,

ob auctam continuo proprius ad terram ipsius densitatem;  
& sit præterea in particulis aëreis, aliisque quæ cum illis  
combinatae sunt, ( quippe quæ omnes ut corpuscula opaca  
considerari possunt ) multiplex & in omnibus altitudinibus  
reflexio, quod etiam jam modo inculcavimus. Hinc est,  
quod aliquo temporis spatio splendor quidam in atmosphæra  
conspiciatur, nosque luce fruamur & objecta circumja-  
centia distinguere possumus, et si sol tempore matutino ad-  
huc sub horizonte est constitutus, & vespertino se nobis  
& conspectui nostro jam subduxit. Atque sic videmus,  
quod atmosphæra hac ratione efficiat, ut dies & lux diu-  
tius nobis dureret; ut itinera faciendi, ceteraque negotia no-  
stra peragendi longius quam alias nobis datum sit interval-  
lum; ut aurora rubescens appropinquantem nobis significet  
diem, & ad labores tempestive suscipiendos nos exhortetur;  
ut de imminentibus tenebris nocturnis, & quibus cum, ad  
vires nostras interdiu defatigatas reficiendas, indigemus,  
hospitio & quiete circumspiciendis, optime præmoneamus;  
ut denique oculi nostri tam luci quam tenebris sensim ad-  
fuerint, quibus subitanea illa harum rerum commutatio,  
quæ absque crepusculis existeret, non posset non summe  
noxia esse. Id vero circa crepuscula maxime est notatu-  
dignum, quod in illis conspiciatur aprissima quædam diver-  
sitas, tam respectu locorum terræ quam anni temporum.  
Scilicet, quemadmodum illi, qui ad æquatoriem & in zona  
torrida versantur, ex nimio solis calore insignem persentient  
molestiam, ideoque illis ex prolongatione dierum nulla  
existeret prærogativa; sic etiam crepuscula apud hos admo-  
dum sunt brevia, idque eo imprimis ex fundamento, quod  
Sol tam oriatur quam occidat, non oblique, sed perpendiculariter seu directe ad eorum horizontem. Illis e contrario,  
qui regiones polis propiores inhabitant, ut haud leve est  
gaudium, dum sole absente, non nihil lucis adhuc tamen  
adesse

adesse experiuntur, ita etiam, ex situ solis ad hæc loca obliquo, sit, ut per sat amplum temporis spatium maneant ibi crepuscula. Nos, qui fere in meditullio horum sumus collocati, sapientissimam in eo observamus dispositionem, quod crepuscula æstate nobis sint longiora quam hieme. Etenim illa durante quævis negotia commodius peraguntur immo haud pauca cum unice sunt obeunda. Tum agri, horti, prata sunt colenda; tum punctiones venationesque instituenda; Tum mineralia quævis e terræ visceribus effodienda; tum commercia navigationesque instituenda. Opus itaque est lucis copia. Maxima ergo est prærogativa, quod æstivo tempore lumen ex crepusculis per totam fere noctem continuet. Hieme autem ut tota natura quiescit ita quoque nobis quies est largienda. Plurimos tum deponimus labores, & quidquid æstate sit comparatum, consumere atque in usus nostros convertere solemus. Non itaque tum ex crepusculis magno luminis augmento opus habemus.

## §. VIII.

**A**D considerandum SONUM, qui ab illo aurium beneficio penes nos excitatur, AUDITUM, qualiscunque nostra jam devolvitur tractatio. Ut arctissimus inter hos adest nexus, ita utrique primario aëri suam debent originem. Absque aëre nullus existere posset sonus, & auditus organa frustra nobis forent concessa. Utut enim ardua & Physicotum industria fere inextricabilis sit doctrina de soni natura intimiori & ad audiendi organa provectione, id tamen tuto affirmari potest, quod ad eundem tam excitandum quam propagandum aëris præsentia quam maxime sit opus. Evincunt hoc illa experimenta, quibus ostensum est, quod campana, quæ pulla sonum generat,

si sub vase vitro collocetur, eundem langvidius reddat, aliquanto aëris subducto; prorsusque sileat, omni exhausto. Contra vero, quod sonus, aëre sub campana condensato, maxima capiat incrementa. *Vid. VINCKLERII inst. Math. pag. 273.* Aëri itaque illa commoda grata sunt referenda, quæ ex fono atque auditu in nos profluunt. Hujus ergo fluidi beneficio est, quod per plurima, quæ scire cupimus, sub oculos nostros autem cadere non possunt, optime tamen percipientur; quod loquela proferri atque intelligi possit, & arctissimum sic existat generis humani vinculum, & promovendæ felicitatis istius, non temporalis modo, verum & æternæ medium maxime necessarium; quod tristia voce tristi, læta autem lætando datum sit communicare, ea quæ pro secretis habenda sunt missitando, quæ vero in vulgum studio emittenda, cum clamore maximo & intensissimo, immo cum instrumentis ad sonum augendum idoneis, ut tubo stentore campanis, ceterisque; Hujus beneficio est, quod & nos & reliqua animalia permulta pericula nobis imminentia, quæ visu observari nequeunt, e longinquo animadvertere, nobisque sic feliciter ab iisdem præcavere possimus; & quod denique in artium nobilissimarum theatrum producta sit Musice tam vocalis quam instrumentalis, quæ multiplici sonorum variate, apposita eorundem mixtione, atque dispositione quadam concinna, tantam in animalibus nostris habet vim, ut per illam affectus alii domari, alii in motum vehementissimam excitari penes nos possint.

### §. IX.

**P**auca, quæ circa nexus aëris cum sensa OLFACIUS, observare vacat, heic jam erunt apponenda. Est Olfactus illa sentiendi facultas, qua odor corporum ab animalibus percipitur. Hujus ductu cuivis animalium,

plu-

plurima si non omnia cibi potusque genera, quoad eorum indolem, probe distingvere licet, antequam ad gustum applicantur, qui arctioreum cum salute corporis habet nexus; Hujus auxilio salubria eligi insalubria autem rejici possunt; Hic loca & adiuncta salutaria nobis monstrat; Hic ut venenata, quæque saluti quodammodo nocent, evitemus fideliter & plerumque certo præmonet; Hinc est, quod ex plurimorum corporum odoratorum præsentia, quorum copia in regno vegetabili imprimis est maxima, haud mediocrem sentiamus oblectationem, viresque nostræ tam animi quam corporis mirum quantum sâpe reficiantur; Hinc etiam est quod brutorum animantium nonnulla, imprimis vero canes, in venationibus, in villarum custodia, aliquo multiplice servitio maximo usui nobis esse possint. Quod vero olfactus absque aëre existere plane non possit, id nemini intellectu difficile esse existimaverim. Hic enim est, cuius opere particulae odoriferæ elevantur, & ad nares nostras ascendunt; Hic instar vehiculi est, easdem cum respiratione in ipsas nares introducendi, quo sic in organa olfactus maxime sensibilia agere & ideam odoris penes nos excitare queant.

## §. X.

**S**ed non omittendus est ille usus, quem præstat nobis aër circa MACHINAS plurimas utilissimas. Præterquam enim, quod per motum suum, hoc est ventos, per plurimis machinis movendis inservit, didicerunt quoque mortales duabus istis hujus fluidi proprietatibus sibi invicem quasi contrariis, gravitate, videlicet & elasticitate sic uti, ut unam earum minuant, quo altera sic absque impedimento agere & optatum prodere effectum queat. Accidit hoc in omnibus generis syphonibus & antliis attractivis, quæ ad aquam sursum duceadam addibentur, quæque nautis, hortulanis

nis, rei metallicæ operam dantibus atque cellariis, aliisque imprimis usui esse solent maximo. In his enim aut persuptionem, aut per emboli in foramen antliae intrusi extractionem, id efficitur, ut aër internus, saltim maximam partem, educatur. Unde, quum superstes illa, in cavitate machinae, aëris portio plane exigua, vix ullam exerceat elasticitatem, pressio aëris fluidum in tubum, ipso fluido immersum, ascendere cogit. Aëris elasticitati illi debentur usus, quos folles cujuscunque generis in metallorum fusionibus, in officinis perplurimis, in experimentis chemicis atque physicis, alibique, nobis præstant. Haud enim aliâs possent illi ampliati ventum attrahere & coacti eundem emittere, ignemque sic excitare, augere & conservare. Ex eadem hac aëris proprietate pendet quoque usus pulveris pyrii & eorum instrumentorum, ad quæ hic applicari solet. Postquam enim ita excrevit hominum malitia, ut securitas nostra haud raro turbetur, neque nos nostraque in tutum collocari possint, nisi in vitam hostis violentissimi fiant impetus, nisi bella inter creaturas rationales gerantur; potest tum, utut deploranda, hisce tamen casibus maxime necessaria hominum trucidatio, summa cum solertia, bombardis & tormentis bellicis atque dicto pulvere institui. At magis gratæ sunt illæ utilitates, quas ex hoc pulvere, his instrumentis, dum ad œconomica applicantur, in nos redundant. Horum ope aves ceteraque animalia, quæ nostro subiecta sunt dominio & nostris destinata necessitatibus, quæque victui aut amictui inserviunt, vel rapacitate sua sunt noxia, celeriter in prædam nobis cedere coguntur. Quæ omnia auxilio horum instrumentorum existunt phænomena, dum, accenso pulvere pyrio, vehementissimus excitarur ignis, elasticitasque aëris in pulveris granulis contenti, per illum, ita augetur, ut globulum e foramine, quo intrusus erat, vi & velocitate summa emittat.

## §. XI.

**A**bsolutis sic pro modulo ingenii iis ipsis, quæ circa usum tam ipsius aëris, quam atmosphæræ generatim, commemoratu maxime digna videbantur, ad ea jam esset properandum, quæ in corporibus heterogeneis in atmosphera nostra hospitantiibus, atque in præcipuis ex illis causatis meteoris, Teleologicæ huic nostro discursui materiem suppeditare possunt. Verum ob temporis angustiam aliasque circumstantias, hac vice illa persequi nequeo; Propriètatem autem, si Deo ita visum fuerit, dabitur mihi fortis occasio, eadem quoque publicæ luci emitendi. Interim hæc 1. 2. miriori perstringas censura! Videsmus autem brevibus, cuinam **USUI** hæc ipsæ considerationes IN THEOLOGICIS nobis esse possint. Adeste itaque stultissima Atheorum cohors, & nefanda eorum multitudo, qui infinitas Divinæ majestatis perfectiones impiissimo ausu impugnare vel plane negare non erubescunt! Sistite, quanto, gradum, justam adhibite attentionem & voluntatem vestram contumacem & effrenatam cohibite, & ad famæ rationis dictamina sequenda cogite! videbitis autem tum, nugas & commenta, quibus mens vestra hue usque hæsit, feliciter ex dictis disspellit; videbitis stultitiam atque nequitiam quæ vos detinebant, in pudorem vestrum meridiano uice clarius patescere. Ens a mundo diversum & mundi ipsius auctorem vos agnosceret refragamini, vel fortuito particularum præ-existentium concursui ortum ejus ascribentes, vel ab æterno eum exitiile somniantes. Quid vero nobis videtur? Num casu in scenam existentium productus est aëris, cuius phænomena constantes adeo sequuntur leges, qui plerisque naturæ operationibus tam utilis est & necessarius, ut absque illo eadem perfici posse non possint, quique ea instructus est inde, in proprietatibus, quæ in respectu ad alia corpora quam aptissimæ sunt, & nexus inter illa atque hoc fluidum efficiunt suavissimum? Num, casu provenit aëris, cuius in attributis admiranda adeo conspicitur dispositio, ut, quid gravitas istius, alioquin maxime utilis, omni rei corporeæ continuo inferte conatur damni, id ipsum cæsticitas plene impidire valeat? Num casu existit illud fluidum, quod ad peragendam respirationem, opus illud, sine quo vita animalis persistere non potest, & cui tot organa in corporibus animalium destinata reperimus, necessario requiriatur. Fluidum, quo aves atque pisces ad motum instituendum carere non possunt? Fluidum, quod, si absenteret, totum vegetable regnum corrueret? Fluidum, sine quo corporum destruccióne atque in prima stamina resolutio, utilissimum illud & maxime necessarium naturæ opus, nullatenus peragi posset? Fluidum, sine quo omnis ignis terrestris extingueretur, lux & calor ejus evanesceret? Fluidum, quod domicilium nostrum illustrat, & lucem pro ratione temporum atque locorum producit? Fluidum, quod soni tam excitandi quam propagandi adminiculum.

miniculum est maxime necessarium? Fluidum, sine quo nullus existeret olfactus, usus organorum, quæ huic sensu dicitur sunt, nullus? Fluidum, deinde, cuius ope machinæ & instrumenta nobis quam utilissima adhiberi possunt? Hoc, inquam, fluidum num casu provenit? Certe, si quid videtur, arctissimum adeo nexus convenienter amque omnino adam, in rebus, quæ casu & per fortuitum concursum exstiterit, non posse obtinere utro fateamini. Largiendum vobis est lavavissimam hanc, quam conspicitis harmoniam, Ens quoddam intelligens agnoscere auctorem. Sed regerit fortassis alius quisquam vestrum, vel concessio hujusmodi nexus, existentiam Dei tamen non esse concedendam, quia ab aeterno exsistere potuit mundus. Heu vero argumentum omni fundamento destitutum! Ita nexus hic rerum naturalium cum aere in praetentiarum est actissimus; contingentia tamen ejus curvis attendentि facile ad oculum patet. Negari etenim non potest, quin possibile sit existere animalia, quæ respirare opus non haberent; Pices avesque absque ejusmodi fluido ac aer est motum peragentes; Plantas sine aeris ope crescentes & virentes; ignem, qui hujus praesentia ad sui sustentationem non indigeret, & sic potro. Ut vero aeternitas necessitatem existendi importat, ita e contrario contingentia sententiam de aeternitate evertit. Pudeat itaque vos deitamenti haud mediocris ordinis! Desinite nugas agere impisissimas! Abiuratis speculationibus in devia trahentibus abstinetе! Naturam apertis contemplamini oculis! Auctorem in operibus suis venerabundi agnoscete! Circa illam, quam in rebus naturalibus conspicitis dispositionem plane admirandam, nexumque qui inter eas est lavavissimum, sapientiam quæ scivit, potentiam quæ valuit, & bonitatem quæ voluit hæc omnia ita ordinate, submissa mente veneramini!

DEO autem soli gloriam date sempiternam.

## T A N T U M.

